



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Friderici Forneri Theologiae Doctoris Canonici Ecclesiae  
Collegiatæ diui Stephani Bambergæ, De Temulentiae  
Malo, Eiusque Remediis, Variis Item Scitu Iucundissimis,  
nec non vtilissimis de rebus, quæ in ...**

**Förner, Friedrich**

**Ingolstadii, 1603**

Cap. XLI. Epilogus libri primi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45433**

*sed nunquam epotare valeo. & sic disparuit. En vt blandi ingressum vinum in nouissimo mordet vt coluber.*

*Prou. 23:*

Non dissimile ibidem sed pluribus, Exemplum subnectit Cæsarius, de quodam temulento, cui Deus quadam visione diabolum ostendit, vnum abripientem ad eterna gehennæ supplicia, & supremo Dæmoni interroganti, vbi eum inuenisset? Respondit. In Ebrietate. cui ille. Defer eum huc, vt affatim bibat. & dicto citius accurrentes Demones, eum vi rapatū in diuersa, plagis excepere durissimis, & in os eius liquatam picem ac sulphur infundentes, cacchinnando vociferabantur. *Diu sitisti, iā sitim exple.* quibus visio disparuit, atque ille cui se aspiciendum præbuerat, temulentia valere iussa, sobrietatem deinceps est amplexus. Conuenit vtrique, ex iam recentis apparitionibus, quod Dauid olim prædixit. *Ignis & sulphur, & spiritus procellarū, pars calicis eorum.* & Propheta. *Inebriate eum calice iræ Dei, vt sicut bibendo inordinate delectabatur, ita potando picem ac sulfur, pro culpa puniatur.*

*Lococitato.*

*Psal. 10.*

*Hier. 48.*

Horum igitur Exemplo, vt ego ex me vos non moneam, sed Propheta. *Expergiscimini ebrij & flete & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.* ni simili modo velitis, quod horrendum est, incidere in manus Dei viuentis, & æternarum flammaram titiones inextinguibiles esse. Pro comperto habetote, quod veteres vulgò dictabant, Laneos Iupiter habet pedes, ac ferius Diphtheram suam inspiciens, atque omnia ponderans, perperam facta, vindictæ tarditatem, grauitate compensat.

*Iohel. 1.*

*Heb. 10.*

CAPVT XXXXI.

*Epilogus Libri primi.*

**D**octum huc vsq; & ni mea me fallit opinio, sa-

K

119



tis copiosè explicatum, quid bono tum omnium communi, tum cuiusq; priuato, temulentia officiat. Ostensum quoq; , hominem fortunæ corporis atq; animi bonis omnibus, siue à natura sint insita, siue gratuita Dei voluntate, ad æternæ felicitatis affectationem, liberaliter concessa, penitus exui, atq; æternis cruciandum incendiis mactari. Quid superest aliud nihil, quàm vt tu hisce tuo vtaris bono. annon id lubens acceptes? annon, quod è re tua est, ab amico fideli, monitus, lubentius faxis? Latronem fugis, persequeris, capis, compede vincis, in cruce magis: Temulentiam foues, nutris, amplecteris? Vbi ratio? vbi sensus? vbi intellectus? Triplicem, inquit

*Simile à Latrone.*

*Lib. 4. de ciuit. Dei cap. 12. Quàm scelus latro remulencia.*

*Prou. 10. Sap. 14. Job. 22. Sap. 16. Psal. 48.*

S. Augustinus; *vitam habet homo: Vitam naturæ, vitam gratiæ, vitam gloriæ.* exosus tibi est latro, qui solam atque vnicam naturæ vitam, corpori eripere potest: Temulentia verò perchara erit, familiaris erit, domestica erit. Temulentia, inquam, quæ non solum corporis vitam, infinitis propemodum morbis exasperat, decurtat, ante præfixum diem extinguit, sed & diuinæ gratiæ vigorem opprimendo, animam enecat, & gloria cœlesti consequenter, æterni illa, beatissimaq; vita excludit, hæc inquam pestis, hic anguis, hic basiliscus, in sinu tuo, tam delicatè educabitur? En pedem alterum in cymba Chærontis locas, & in fouea perditionis: ni pessum te velis, eum retrahere; nam *anni impiorum breuiabuntur* cum odio sit Deo impius & impietas eius, & complures impii sublatis ante tempus suum, qui per malitiam ceciderant animam suam, atque in inferno positi sunt, vt mors depascat eos.

FINIS LIBRI PRIMI.